

BA

B. R. V.

805; 854A
inv: 130; 131

BA

B. R. V.

880; 912
inv. 132; 133

500/893

656

BIBLIOTECA
Centrală a „Astei”
SIBIU



Inv. 130

DISCVSSIO

DESCRIPTIONIS

VALACHORVM TRANSYLVANORVM

EDITAE

PATRIOTICIS PAGINIS

(Vaterländische Blätter)

Nris. 83. 84. 85. Viennae 1811.

Auctore I. G.



PESTHINI,
TYPIS MATTHIAE TRATTNER.

1812.

Legentem descriptionem Valachorum Transylvanorum in sic dictis Patrioticis paginis (Baterländische Blätter) Nris. 83. 84. 85. 1811. editam in plura incidere oportet, quae et fidei historicae adversantur, et quae etiam non sine injuria adstrui possunt. Certe Gentem Hungaram ab ipso sui in has Regiones adventus tempore tam erga hic repertos, et dein in unam societatem civilem coalescentes populos, quam ad se vocatos, aut ultro venientes humanam semper, ac hospitalem exstitisse, meritumque justam habuisse rationem, praeter complura alia historica documenta, innumerae fere in favorem sic dictorum *Hospitum* latae leges extra omne ponunt dubium. Frustra sane quaesieris in orbe Regnum, (dummodo absit verbo invidia) quod Hungariam hac laude superet. — — Quantum vero asserta propositae descriptionis tum historiae, tum humanae naturae, ac etiam scopo citatarum Ephemeridum in annunciatione sibi proposito consentiant, paulisper uberius expendere, et adductis in medium tam iis, quibus concinnator memoratae descriptionis suas fulcire opiniones nititur, tam quae contrarium svadent,

rationibus, idque Latina lingua gratia illorum, qui fors Theutonum sermonem minus familiarem habent; rem demum totam ad iudicium a studio partium alieni lectoris, qui veritati semper amicus se colore rerum capi haud sinit, cui fabulae nihili sunt, et qui solus rem expendens penetrare studet, referre constitui.

§ 2.

Asseritur in citatis Ephemeridibus caetera inter:

1. Opinionem eorum, qui Valachos a reliquiis Romanorum occasione traductarum per Aurelianum in Moesiam Legionum, et Provincialium Romanorum in provincia remanentibus derivant, subsistere non posse; quod etsi vero quam simillimum sit, occasione translationis hujus paucos quosdam Romanos (nam magnus eorum numerus juxta testimonium scriptorum vicissitudinis hujus esse non poterat) in propria Dacia remansisse; summe tamen improbabile sit a tam tenuibus reliquiis numerosum adeo deducere populum, et qui etiam continuis barbararum nationum Daciam ab uno termino ad alium vastantium incursibus, et quae etiam gentes e numero existentium populorum evanuerunt, populus hic solus resistere, non aliis permixtus perdurare quivisset, et qui historicis per plura secula (usque Cinnami scriptoris seculi XII tempora) qui nec eos existere meminissent, penitus ignoti manere?

2. Sulzerum, et Ederum origines eorum a Tracibus repetere.

3. Valachos reipsa incunnabula sua slavico cuiusque populo debere cum verisimilitudine asseri posse; quod Getae etiam et Daci tempore subjugatae per Trajanum Daciae regionem incolentes slavicae stirpis fuerint, et naturalius, ac verosimilitudini consentaneum magis sit, Valachorum ortus a domestico ipsa in Dacia populo ducere, quam quaerere foris autenatos eorum; quod magnae in re litterariae auctoritatis viri Schlözer, et Eder huic subscripserint sententiae.

4. Pro Slavica Valachorum origine maxime eorum pugnare linguam; quod reperiantur quidem copiosae in ea Latinae voces, tota tamen ejus structura, et cum primis inconsvetus apud Romanos articulorum, et verborum auxiliarium usus clare indiget majorem linguae hujus cum Slavica affinitatem; quod vix dubio locus sit, non Romanam Linguam per accedentia Slavica vocabula corruptam esse, et inde Sermonem Valachorum enatum: quam Slavicam potius Dacorum Linguam per accessionem Latinarum, et aliarum peregrinarum vocum sensim in hodiernam Valachorum coaluisse; quod ea juxta probabilem Sulzeri calculum prout nunc in Valachia in usu est, $\frac{4}{8}$ Latinis, $\frac{3}{8}$ Slavicis, $\frac{1}{8}$ Turcicis, Gothicis, et Graecis vocibus permixta sit. Huc etiam facere Slavicum Valachorum vestitum, quod quidem a vestibus ductum argumentum in se ipso non magnae sit firmitatis, conferre tamen

eum reliquis ad evincendam Sclavicam Valachorum originem.

5. Quandoquidem Sclavici Valachorum ortus maximae sint probabilitatis, nominis originem etiam non incongrue a sclavorum sermone derivari. — Se ipsos vocare *Rumuny*, occidentales vero Romanos ab eis dici *Romany*. &c.

6. Quamvis Valachi priscorum Getarum, et Dacorum posteri sint; (de Transylvanis Valachis intelligendo) non omnes tamen ab his oriri; ast a Valachis quoque successive turmatim in provinciam migrantibus; Saepius consedissee eos absque Domini Terrae facultate: Similem pagum a Matthia imo Rege deletum fuisse, uti autographae Literae de an. 1487 perhibent.

7. Valachos in Transylvania pertinere ad toleratas nationes, vi itaque Transylvanae Constitutionis nulla eis Civitatis jura competere. Valachos talibus juribus nunquam gavisos fuisse. Nobiles, aut liberas eorum familias illis adnumerari nationibus, in quarum terris, et fundis degunt.

8. Valachos dudum gravi opressos jugo ejus esse indolis, quam servitus indelebilitur simili populo inurit. Sapientes aevi recentioris constitutiones sero non nisi ad optatum perventuras scopum, ut has Servitutis notas deleant. Eos esse astutos, simulantes, fraudulentos, imagine summae simplicitatis omnem scire arripere occasionem alium deludendi, eumprimis vero ingentem eorum esse pigritiam.

tiam, hanc etiam per frequentes in Graeca Ecclesia usitatos festos dies ali. Etsi vero frequentia haec festa ad minorem numerum jam reducta forent; supersticiosos nihilominus Valachos haud quis persvaserit his diebus laborari posse.

9. Cum propensione ad pigritiam conjungi aliam quoque ad furta, et latrocinia, quibus Valachi nimium quantum dediti essent &c.

§. 3.

Iam expendamus etiam ea, quae his contraria svadent.

Ajo itaque ad primum. Getis, Dacisque delictis penitus, (a) Trajanus Augustus circa A. C. 105. 106. numero infinitos colonos in Daciam deduxit ad urbes, et agros colendos. (b) Coloniae hae mox a morte Trajani summas subiturae erant vicissitudines; nam „ Hadrianus Trajani gloriae invidens statim provincias tres abstulit, quas Trajanus addiderat, hoc est de Assyria, Mesopotamia, et Armenia revocavit exercitus, ac finem Imperii esse voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conautem amici terruerunt, ne Romani cives multi traderentur: propterea quia Trajanus victa Dacia ex toto orbe Romano infinitas eo copias trans-

a) Julian. de Caes. in Traj.

b) Eutrop. Brev. L. VIII.

tulerat ad agros, et urbes colendas." (c) Retinuit itaque Hadrianus Daciam: ast multum ei derogavit destruendo pontem, quem Trajanus Danubio imposuerat. Colonia nihilominus Romano-Dacia in suo flore permansit usque ad Imperium Gallieni, „qui more hominum secundis solutior rem Romanorum quasi naufragio dedit, (d) Dacia, quae a Trajano fuerat adjecta tum amissa est (e) neque amplius recuperatam fuisse ostendi potest, silentibus coaevis vitam Claudii II. cui recuperatio Daciae sub Gallieno amissae a nonnullis tardioribus Scriptoribus adscribitur, prolixè, et relatas ast non nisi cis Danubium de Gothis victorias enarrantibus; accedit quod Claudius II. vix integro biennio imperaverit, et sub successore ejus Aureliano jam Gothi denuo Istrum praetergressi provincias Romanas cis Danubium sitas puta Illyricum, et Maesiam dirum in modum vastaverint. Constat ecquidem ab Aureliano Gothos hos repressos fuisse, et superato quoque Danubio unam de eis victoriam caesis quinque eorum millibus relata; unde vulgatum illud Flavii Vopisci Testimonium originem sumsisse videtur, reliqui namque posteriores Scriptores hoc solum exscribere: „quam (Aurelianus) vastatum Illyricum, et Moesiam deperditam videret, provinciam trans

c) Idem

d) Pompon. Laet. in Gal. Victor cap. 38.

e) Eutrop. L. IX. Dion in Traj. L. LXVIII.

Danubium Daciam a Trajano constitutam sublato exercitu, et provincialibus reliquit desperans eam posse retineri; abductosque ex ea populos in Moesiam collocavit, appellavitque suam Daciam. " Si consideretur, quo invitante scripserit Vopiscus vitam Aureliani; Iunio videlicet Tiberino Praefecto Urbis, quem ipse Vopiscus asserit, non nihilum ex Aureliani origine sangvinem ducere, quodve par situm ejus egerit, quod Hadrianus ut ut acri invidia in gesta Trajani ferretur, dedecori sibi duxerit deserere Daciam, hocque modo multos cives Romanos quasi barbaris tradere; si dein ea, quae sub Gallieno, et Claudio evenerant in Dacia, cum hoc testimonio conferantur: facile quis perspexerit obscurum ceteroquin hunc locum Vopisci vix alia conniti posse veritate, quam studio amoliendae a Nomine Aureliani Daciam deserentis, quod Hadrianus facere verebatur, ignominiae. Non me quidem latet argumentationes in historicis vix habere locum, quae scilicet nudam gestorum seriem pandere deberent; ast si consideratis omnibus adjunctis impossibile quid a quopiam historico tradatur, officium sane rationis est; errorem detegere, praejudiciaque subigere, aut non constat plurima jam ab historicis absurda, mentique rebus item ipsis gestis dissona tradita, refutata ac ad rationis tribunal deducta suis naevis perpurgata exstitisse? Iam vero quaeri potest an amissa sub Gallieno Dacia exercitus Romanus in Dacia perstiterit usque tempora Aureliani, an etiam Vastantibus

Illyricum, Moesiam, Traciam, et alias provincias Romanas cis Danubianas superato Danubio, Gothis, persistere potuerit? an Aurelianus hunc exercitum sustulerit e Dacia, aut vero illum, quem ipse ad persequendos Gothos deduxerat, et quocum mox comissa pugna in Asiam festinavit? An possibile fuerit Romanos hos jam a longissimo tempore, destructo jam per Hadrianum ponte Trajani quasi suo fato relictos sub Gallieno penitus in barbarorum ditionem devenientes, jam barbarorum incursionibus a duobus propemodum seculis asvefactos e Dacia abducere, e terris hostium imperio tunc subjectis, quos etiam hostes armis perdomari posse desperaverat Aurelianus? An etiam credibile est, ob afflictiones barbarorum, quas nec in Moesia vitaturi erant, Romanos Daciam deserere voluisse, eos cumprimis, qui rem ruralem auspicati terras, has in patrium solum verterant, quorum avorum, et proavorum cineres terra hac tegebantur? an non scimus homines ita a natura comparatos esse; ut graviora longe mala domi suae perferenda sibi ducant, quam ignotis in oris novis semet objicere discriminibus? Certe Daciam nusquam a barbaris ita vastatam tradunt scriptores, prout Illyricum et Moesia recte hac tempestate, qua translatio haec evenisse perhibetur, dirum in modum vastata erant. Neque etiam desunt vestigia gestarum rerum apud historicos, e quibus concludi potest Romanorum Dominationem trans Istrum non ita penitus hac aetate extinctam

fuisse. (f) Quid etiam de iis cumprimis Romanis existimemus, quibus montosa Daciae loca obtigere hostibus propemodum impervia, regiones salinis, fodinisque ditissimae, aëre, et aquis saluberrimae? Ipsae Auctor propositae Descriptionis admittit negari non posse quospiam Romanos occasione assertae sub Aureliano factae translationis in Dacia remansisse, ast eos paucos fuisse quo quaeso probat documento? cum constet numero infinitas colonias in Daciam tractas fuisse. Citatus itaque Vopisci locus, si etiam justo plus ei deferamus, non alium habere potest sensum, quam tractatis, aut potius collectis hinc inde dispersis collegiis, vicinorumque ad Danubium locorum incolis, Mercatoribus, aliisque, qui cum reliquis provinciis arctiori vinculo juncti erant, aut qui tardius illuc delati nondum barbaris asveti, nec satis firmati domiciliis, collocato etiam militari in Maesia praesidio, maximam coloniarum partem in veteri Dacia remansisse, ubi tum per advenientes A. C. 377. Hunnos, quam etiam per Hungaros circa 890. A. C. inventi sunt.

Adventu quippe Hunnorum plures populi terrore perciti fuga sibi consulere „ *solis Valachis sponte remanentibus* ” (g) Quid?

f) Allg. Weltgesch. Guthrie, und Gray 12. B. pag. 504. Gebhardy Geschichte der Moldau und Walachei p. 236.

g) Chron. Hung. quae incipiunt: „ Anno MCCCLVIII. feria tertia &c. ” apud Schwandnerum,

quod ipse Atila rex, ejusque primores sermonem Ausoniorum, seu Valachorum, ut Otrocotsius e Prisco deducit, addidicerint; (h) unde id utique liquet, quod superius affirmavi Hunnos Valachis, iisque copiosis permixtos habitasse. Cl. Pray hanc Otrocotsii opinionem de lingua Valachorum apud Hunnos usitata ex his duabus rationibus in dubium vocat: 1mo quod ea tempestate Latina lingua ita corrupta esse nequiverit, ut in Valachicam commigraret: nec 2do Blachorum seu Valachorum nomen apud scriptores illorum temporum cognitum fuerit. (i) Quae quidem rationes hunc recte a paritate sensum habere possunt: Hungarorum proavi ante mille, et amplius annos longe alia usi sunt dialecto, ac ea sit, quae modo in usu est. 2do Nomen *Hungarorum* apud ejus temporis scriptores usitatum haud est; igitur verum non est eos Hungarice fuisse loquutos, quod absurdum nemini adhuc incidit affirmare. Priscus sane ita de Ausoniorum lingua loquitur, ut facile intelligatur eam omnibus convivis fuisse notam, de Latina vero tanquam quid speciale refert, prope ipsum sedentem Hunnum ejus usum habuisse. De duplici vero apud Romanos usitata lingua occurret inferius mentio ad punct.

4. §. 9.

h) Otrocotsius in orig. Hung. P. 1. Cap. 4.

i) An. Hun. LIII. p. 135. not.

Tandem „ Hungari Pannoniam intrantes invenerunt posteros Romanorum Dacicorum, quos Anonymus vocabulo suo, hoc est, Belae III. tempore invalescente Blachos appellat. *Hic est lapis offensionis pro illis, qui Valachos in Transylvaniam serius tantum advenisse, et hinc qua advenas arbitrarie tractandos tam pertinaciter credunt, ut Anonymo Bellum indicere quam errori suo renunciare malint.*” (k)

Sed neque durus erat adeo barbarorum cum residuis inter se Romanis cumprimis agendi modus, ut A. D. exaggerat, ut vel ex his Orosii scriptoris coevi verbis de Hunnis quibus vel maxime feritatem oggerunt, scribentis patet: „ Residuos, ait ille, Romanos modo ut socios, et amicos foveant, ut inveniantur inter eos, qui malint inter barbaros tributariam solitudinem sustinere.” (l) Barbarorum sane intererat pacificos habere terrarum cultivatores, qui eos sustentarent, ac tributis ditarent; proinde, non modo hos ab illis, cum nullum sibi metum imminere viderent, non deletos, verum ultro in patrocinium sumtos dubitari nequit.

§. 4.

Infert A. D. repugnare ab his reliquiis, quas jam e superius dictis numerosissimas fuif-

k) Supplem. ad Vind. Anon. cornides, p. 327.

l) Orosius Hist. L, VII. Cap. XLI.

se patet, tam numerosum populum, qualem hodierni trans-Danubiani Valachi constituunt, derivare; ast plena est omnis antiquitas similibus exemplis. „ Sylvae, et montes erant a principio rerum arces, in quas reliquiae subjugatorum populorum, quae demitorum suorum ferrum evaserant, se se abdidere, ita in Biscaya, Vallia, Scotia, Albania. &c. (m) Quamdiu Hispani ob metum Saracenorum in Pyrenaeis montibus delituerent? Soluti tamen gravissimis periculis post longissimum tempus numerosi adeo populi authores exstiterent? Quas non pertulere vicissitudines prius Valliae Britannici? et tamen sat magno adhuc numero perdurant, nec dubio locus est, eos magis adhuc se multiplicaturos fuisse, si mitius clima, fertilioresque terras, quales Valachis obtigere, nacti fuissent.

§. 5.

Valachi hodie propria sua lingua Romanos se appellant *Romani*, et haec denominatio a Majoribus suis accepta continuo inter illos usitata est; neque enim ullus mortalium memoriae prodidit nomen hoc serius ab aliquo eis inditum, aut sponte assumptum fuisse. Verum a vicinis variis temporibus variis

appellati sunt nominibus, qualia sunt: *Latini*, *Ausoneii*, *Romani*, *Mysii*, *Sinsari* (cisdanubiani per ludibrium ita vocitati,) *Vlassi*, *Vlach*i, *Blachi*; *Blasii*, *Blacci*, *Olahi*, *Olaci*, *Balachi*, et demum *Valachi*. An itaque quoties populi hujus variata apud Scriptorem quempiam reperiatur denominatio, toties novum exortum populum recte arbitramur? Intermissa per Romanos Dacia variae gentes sibi invicem succedentes Daciae dominabantur, communis haec omnium historicorum sententia est; etsi vero rerum humanarum gnaro dubium esse non possit Romanos quoque Daciae indigenas cum barbaris sua consociasse arma; scriptores nihilominus dominantium solum meminere populorum, quorum videlicet imperio, et nomine ea bella gerebantur. Pro ut hac nostra aetate *phalanges regulares* Transylvaniae ut ut maxima parte e Valachis conflatae sint, Hungaricae nihilominus audiunt. Neque id silentio premi potest, quod A. D. plerosque illos populos e numero viventium evanuisse asserat, quibuscum Valachi in Dacia habitarent; an enim si in alias commigrarunt regiones, alia ab illis regionibus mutuarunt nomina, recte illos periisse credamus? (n)

Ipse Cinnanus, qui Belae III. temporibus floruit, haec de Valachis perhibet: „Leonem autem Batazen cum exercitu alio magno, et

n) Gatterer Universalhist. p. 831.

Blachorum ingenti numero, qui quondam fuisse coloni Italorum memorantur, ex locis Ponto Euxino vicinis irrumpere Hunnicam jubet, unde nullo unquam tempore eos invaserat. "Hinc juxta A. D. argumentandi rationem dubium oriri potest, an ingens ille Blachorum numerus Valachi fuerint; cum nec ipse Cinnamus nomen nostra aetate usitatum commemoret. Notante Daniele Cornides ante Cinnami tempora Blachos etiam Pacinacitas dictos fuisse Lucius Dalmata L. VI C. V. more suo egregie ostendit. Et sane si quis amplitudinem Pacinaciae, et Pacinacitarum multitudinem a Constantino Porphyrogenito descriptam contempletur, consideret insuper devictos per Byzantinos inter Pacinacitas, et egressum ingentis e locis Ponto Euxinio vicinis Blachorum numeri breve non nisi intercessisse tempus, quin Blachi hoc tempore e cis-danubianis partibus illuc immigrasse a Graecis scriptoribus sedulis mutationum, quae in his oris, theatro quippe belli Graecos inter, et Hungaros evenere, connotatoribus, uspiam tradantur: certe fateri debet is, aut Pacinacitas hos non distinctum a Blachis fuisse populum, atque a Graecis per frequentius cum iis commercium observantibus eos a Blachis cis-danubianis, seu incongrue sic dictis sinsaris non esse diversos, supresso pacinacitarum nomine quod ipsis a Russis adhaeserat, tantum Blachos fuisse compellatos, hancque esse causam, cur ab hoc tempore Pacinaciterum nomen auditum amplius non sit: aut adminus Valachos simul cum

Pacinacitis

Pacinacitis in veteri Dacia quae Nistro, Tybisco, Istro, et Ponto claudebatur seu in sic nominata *Atelcusu*, quam copiosissimos habitasse.

§. 6.

Ad 2dum Duos aevi nostri contraria tradentes scriptores ad rem quampiam probandam citare, non est dubium circa eam tollere, aut plane veritatem demonstrare. Sulzerum Valachos non nisi post depopulationem Hungariae, et Transylvaniae per Mongoles 1241. factam Gratia Hungarorum in consortium Domicilii adscitos, et sub conditione perpetuae servitutis e Thracia illuc deductos esse autumantem recte Engelius tam firmis refutavit argumentis *infelicitis opinionis auctorem* eum compellans, ut nulla amplius commentis ejus fides sit. (o)

Engelius vero originem hodiernorum Valachorum a captivis, et servis Bulgarorum ad partes trans Danubium sitas transportatis deducit. Opinioni huic occasionem praebeuit expressum apud Stritterum testimonium, quod ita ille citat: „*Crumus capta Adrianopoli (circa 813) nobiles cum immensa plebe trans Danubium fluvium transportavit, et ibi habitare jussit.* Leo Grammaticus XII. millia nu-

o) Comment. de Exped. Traj. ad Danub. p. 285.

merat non computatis foeminis. Georgius Monachus autem X millia. " (p) Captivos hos proprio arbitrio pronunciat Engeliuss fuisse Valachos, jam in suppl. ad Vind. Anon. Cornid. p. 328. Sclavos, et Valachos, ac his XII millibus alia adhuc L millia captivorum adjungit, potuisset etiam ingentem illam mulierum ac puerorum multitudinem adjungere, quos e Gani montibus captivos in Bulgariam misere Bulgari victores. Ast qua ratione captivos hos Valachos fuisse credamus, non video; Engeliuss vero expressum apud Stritterum testimonium corrupte citat. Ibi enim tom. II. part. II. C. VII. §. 66. haec de subjugata per Crumum Adrianopoli e Leone Grammatico, et Georgio Monacho habentur: „Ea capta (Adrianopoli) *Macedonum nobilium quam plurimos* cum immensa populi multitudine trans Danubium fluvium transportatos ad ejus regiones habitare jussit. " Quae si hac integritate allegata fuissent, nunquam pro Macedonibus Valachi Lectori obtrudi potuissent. Accedit, quod post Crumi mortem successor ejus Crytagon, vel Mortagon post sex circiter annos inita cum Byzantinis pace captivos hos in libertatem assertos in patriam suam dimiserit, clare hoc elucet ex his, quae apud eundem Stritterum cap. VII §. 71. leguntur: „Hoc modo Manuelus, multique sub eo illustres, alique sanguine juncti sua morte verae reli-

gionis testimonium tulerunt. *Tandem reliquis captivis Deus in patriam redeundi occasionem paravit.* Nam Princeps Bulgarorum saepius cladem passus, cum jam Romanorum (Byzantinorum) viribus resistere nequiret, pacem bello praetulit, *captivosque dimisit. Deo proptio captivi omnes incolumes domum dimissi abiere.* Ex his aliquot millibus captivorum potuisset tam ampla Gens propagari, qualem Valachi Transdanubiani efficiunt, non secus e remanentibus occasione translationis per Aurelianum factae — quantum, quamque coecum partium studium!

§. 7.

Ad gum Quamvis nemo adhuc scriptorum extra dubium posuerit Thraces, eorumque colonias Getas, et Dacos Sclavicos fuisse populos imo plurima contrarium svadeant, (9) cum tamen istud ad propositum nihil faciat praetermittendum censui; si etenim ultro demus Katanchichii argumentis quempiam persuaderi de Sclavicis Thracum, Getarum, item et Dacorum incumabulis, ac eos sermone usos fuisse Sclavico, tanto a fortiori credere necesse est, Valachos gentem propriam nulli alteri mixtam perdurasse, quod eorum lin-

9) Comment. de Exped. Traj. ad Danub. p. 86.

gva tota sua indole a Slavica abhorreat, structuraque sua ad lingvas Europaeas occidentales quam maxime accedat, de qua mox plura inferius.

Quod A. D. asserat, magis naturae conformē esse, et veri similitudini Valachorum ortum ad populum quempiam in Dacia domesticum deducere, quam foris antenatos eorum quaerere; nescio an quispiam infirmius criterium ad cognoscendas populorum origines memoriae prodiderit; quem quaeso hoc nixi criterio tribuemus ortum Hungaris, Turcis, Armenis, Zingaribus, Judaeis &c. si extra regiones, quas incolunt, progrediendum non est? Quoties una eademque gens non suas mutavit sedes? an ideo etiam suam mutasse originem censenda est?

Ast duo magnae in re literaria auctoritatis viri Schlözer, et Eder huic subscribere sententiae?

Quoad Schlözerum ajo falsum esse ab eo Valachis Slavicam tribui originem, nam in Anal. Russ. part. 2. p. 81. inquit solummodo an *Volochi* Nestoris unus idemque cum Bulgaris, ac hodiernis Valachis fuerit populus, hos vero cum illis haud confundit, prout nec confundere poterat, quin ingentem committat errorem. Nisi fors plerasque Europaeas gentes: Romanos, Germanos, Anglos, Slavos &c. ad Japhetum reducentes ejusdem esse originis arbitremur.

Ederi Valachos e Thracia deducuntis haec duo sunt argumenta: (r)

a) „ Apud Byzantinos scriptores, inquit ille, lego: *Constantinus Dragusich Peloponnesum obtinuit, et in ea Pindum montem, quem Blachi incolunt, itemque Petrum atque Asanum Valachorum ad Haemum incolentium Principes* serius Isaaci Angeli Imperatoris temporibus juncto cum Bulgaris, Cumanisque Moldaviae, et Valachiae incolis foedere Graecorum imperio se subduxisse, sed ex his recte argui posse videtur Blachos istos Haemi accolas cum suis utique popularibus, si hi Daciae domini fuissent, foederis societatem fuisse juncturos. ”

b) Ex istis Chalcocondilae verbis deductum: „ *Pindum montem Blaci incolunt, quibus eadem cum Dacis lingua est, nec quidquam ab iis differunt, qui Istrum accolunt;* ex quo quidem loco id iterum elucet, quod supra affirmavi, Valachos serius e Graecia in Transylvaniam commigrasse, ex linguae nimirum similitudine, quam Chalcocondilas affirmat eadem Blacorum, Dacorumque istorum fuisse incunabula recte arguo, atque si haec in Dacia collocanda sunt, Oedipo opus est, qui explicet, qui factum sit, ut nulla prope sit Valachici idiomatis cum idiomate Gothorum, atque Hungarorum ceu Daciae Domino-

r) Not. 9. 10. in Libel. Suppl. Val.

rum, maxima vero cum Slavorum Thraciae incolarum affinitas."

Verum ad a) adverto: Tempore belli Byzantinos inter, et Blachos Haemi accolae Transylvania Belae Regi Hungariae obnoxia, quis credat fieri potuisse, ut Valachi Transylvani, et Banatenses popularibus suis opem ferant? cum rex ipse Imperatori Graecorum, genero quippe suo adversus Blachos istos suppetias mittere decrevisset, nedum subditos suos ad subveniendum Imperatoris hostibus admissurus esset. De foedere cum Bulgaris inito altum est apud Nicetam Choniatem, qui in hoc Bello Imperatoris notarius erat, silentium; foedus vero cum Cumanis indubie initum est, illudque confirmare videtur opinionem superius de Pacinacitis adductam, quos cum Cumanis Omoglottos seu ejusdem linguae fuisse Anna Comnena Alex. L. 8. tradit.

Ad b) Si haec argumentatio Ederi legitima est: Idiomatis Valachici nulla est cum Gothorum, Hungarorumque lingua, maxima vero cum Slavorum Thraciae incolarum affinitas; credendum igitur eos diu cum Slavis habitasse in Thracia, et serius non nisi in Valachiam et Transylvaniam commigrasse: tum eodem pacto huic quoque standum erit: Valachicum, et Hungaricum inter idioma nulla viget affinitas proprio Ederi iudicio; ergo verum non est, Valachos vel etiam a Seculo XIII. quod illi ultro admittunt, computanda cum Hungaris per quinque jam secula habitasse. Quod quis non videt absurdum, ridenti-

culumque esse? Aut etiam in veteri Dacia commercium cum Sclavicis populis fieri non poterat? Opinionem suam adhuc sustentat Eder authoritate Sulzeri, qui eam denique e Chronico Raduli Gretsan scriptoris circa initium seculi XVIII. hausit. Singulare sane eritices genus! Anonymo antiquissimo Hungarorum historiographo omnem prorsus denegare fidem, quod rebus de quibus scribit 280 circiter annis posterior sit, Radulo vero Gretsan 600 an. tardiori rebus, quas memoriae tradit, omnem absque cunctatione praebere assensum, atque hoc etiam in rebus, quae antiquissimorum scriptorum testimoniis, pluribus Regnantium Principum Diplommatibus evidenter repugnant, de quibus inferius ad 7.

§ 8.

Iam videamus *maximam* etiam idiomatis Valachici cum lingua Sclavorum, quam Ederus commemorat affinitatem: Illyrii non habent articulos definitos, sed dum rem determinare volunt, utuntur more Latinorum pronomine demonstrativo *ovi, ova, ovo*, hic, haec, hoc. Valachi e contra sicut Itali, et Galli gaudent articulis: *il, lu* (de cis Danubianis cumprimis loquendo, nam hi eodem prognati sanguine fratres trans Danubianorum sunt) *le, a*, loco *la* Italici, pronomen autem demonstrativum hic, haec apud Valachos effertur per *questu, questa*, a latinis *iste, ista*.

Illyrii genera habent tria: masculinum, faemininum, et neutrum; Valachi sicut Itali, et Galli non habent nisi masculinum, et faemininum.

Illyrii casus habent septem in numero singulari, in plurali octo. Valachi non nisi sex casus admittunt in numero singulari, totidemque in plurali.

Apud Illyrios nomina varie declinantur, apud Valachos, sicut apud Italos, et Gallos tam in singulari, quam plurali numero similes sunt casus suis nominativis, nec distinguuntur inter se quam varia articulorum declinatione, aut aliis quibusdam voculis a latinis praepositionibus efformatis.

Apud Illyrios comparativus gradus formatur a positivo generis faeminini mutato *a* in *ii*, apud Valachos similis est positivo, nisi quod praeponatur *mai*, hoc est, magis, quod Itali exprimunt per *più*, Galli per *plus*, vg. *vechiiu, mai vechiiu*, senex, senior. Ital. *vechio*, *più vecchio*. Gall. *vieil, plus vieil*. Apud Illyrios conjugationes sunt tres, quarum prima desinit in *am*, ut *imam*, habeo, 2da in *em*, ut *orem*, aro, 3tia in *im*, ut *vidim*, video. Apud Valachos autem sunt quatuor, quae sicut apud Italos, et Latinos ex infinitivo dignoscuntur. Nam 1mae infinitivus desinit in *are*, ut *aru, arare*. 2dae in *ere* longum, ut *vedu, vedere*, video, videre. Ital. *vedo, vedere*. 3tia in *ere* breve ut *stringu, stringe*.

re, stringo, stringere; 4tae in *ire* ut *audu*, *audire*, audio audire. (s)

En affinitatem! qua Eder, et caeteri fidi ejus imitatores tantis, totque suis lectoribus fucum fecere. Unde eum, qui his, aliisque adjunctis, quibus lingvarum affinitates inniti solent rite perpensis nondum suam mutare posset opinionem, merito censeas sponte clausisse oculos, ne lucem videat.

§. 9.

Ad 4tum Iungentur jam gryphes equis,
aevoque sequenti
Cum canibus timidæ venient ad pocula
damae. (t)

Heu quando incipiemus contemporaneos, vicinosque nostros ita noscere prout Graecos, Romanos, Carthaginenses, Gallos, Germanos e priscis classicis cognoscere licet! Lingvam demum Valachorum, quae sola, etsi nulla alia suppeterent argumenta, ad demonstrandam Romanam eorum originem sufficiens est, pro Slavica populi hujus pugnare origine in hac literarum, qua gloriamur luce, asserere! Iam superius vidimus, qualis interce-

s) Illyricae Lingvae Praecepta. Coloczae 1807.
Elementa Lingvae Daco - Romanae. Vindobonae 1780.

t) Virg. in Pharmaceutria,

dat inter Slavicum, et Valachicum sermonem affinitas. Reperiri plures in ea Slavicas voces negari nequit, quae cum primis inducta in Sacris lingua Illyrica, Cyrcillianisque literis (circa 1439.) apud Valachos (*u*) loco Latinarum, quae prius vigeabant, in vectae; (*v*) Idiomata hoc per 200. et amplius annos in sacris adhibitum, nullas per Grammaticas regulas traditum ingente coecitate populum hunc involvit; (*x*) imo restituta postliminio Valachorum lingua, versisque sacris libris, plura ex ignorantia vertentium retenta in his ipsis libris vocabula sunt Slavica, quae tamen in colloquiis familiaribus e parte nec usitantur; Huc accessit Slavico-*rum* populorum vicinitas, ac frequens cum iis commercium. Haec tamen Slavica vocabula plerumque circa res Sacras versantur, et nec centesimam, taceo ut $\frac{3}{8}$ prout A. D. una cum Sulzero erronee calculat, constituunt, neque linguae structuram affecerunt prout e superius dictis § 8 elucet. Nec obstat, quod lingua Latina usum articulorum, et verborum auxiliarium, quae apud Valachos, Italos, et Gallos in usu sunt, non recipiat, Nam duplicem fuisse apud Romanos linguam

u) Eszre vételek Tettes Schwartzner Márton Ur M. O. Stat. az Oláhokról tett Jegyzésekre Pesten 1812. n. 6.

v) Demetrii Cantimir Moldavia part. 3. C. 1. 2.

x) Idem.

dubitari nequit, (*y*) *popularem* videlicet, et *Grammaticam*, seu litteratorum, hancque ex illa non nisi per artem grammaticam fuisse efformatam. *Aliud fuisse Latine, aliud grammatice loqui*, ipse Quintilianus testatur, et *praecepta latine loquendi puerilis doctrina tradit*, inquit Cic. lib. III. de Orat. Quis vero juret *popularem* illam linguam modernum articulorum, et verborum auxiliarium usum non admisisse? Cum culta quoque Latina lingua verbis auxiliaribus non careat. vg. dicitur *amatus sum, amatus eram, visus sum, visus eram* v. *fueram*. Qua loquendi ratione utuntur Valachi in activa voce; Latini ne confundatur praeteritum plusquam perfectum activi sensus cum eodem tempore passivi sensus, illud efformarunt e praeterito perfecto abjiciendo *i* ultimum, et addendo verbum auxiliare *sum* vg. *amavi, amav—i—eram. Amavero* in futuro; &c. mirum sane non obviā adeo rem A. D. observasse. Certe articulos quoque *il, lu, a, i, le*, item *questu, quæta, quæsti, quæste*, ex *ille, illa, illi, illae, iste, ista, isti, istae* latinis quippe pronominibus per contractionem ortos vg. loco *canis ille* dicitur *câne-le*; Praepositiones vero *a* et *de* mere latinas esse, non secus *lor*,

y) Muratorii Antiquitates Italicae Dits. XXXII. Tom. II. pag. 890. et seq. de origine linguae Italicae.

lui, ab *illorum*, et *illi* vel etiam *illui*, de-
 mum auxiliaria verba ex *habeo*, *sum*, et *volo*
 deduci nemo negare potest. Non desunt, qui
 existimant usum hunc articulorum apud Va-
 lachos, et Italos, verborum item auxiliarium
 ad imitationem Gothorum, et Longobardorum
 invaluisse, atque Gothos imprimis primo in
 Dacia Valachorum corrupisse linguam, dein
 vero in Italiam penetrantes Italarum. Verum
 si hanc ponamus articulorum, verborumque
 auxiliarium in duabus sororibus his lingvis o-
 riginem prodigio sane opus est, quo explicetur,
 qui fieri potuerit, ut per Gothos iidem
 recte in Dacia, et in Italia articuli, et auxi-
 liaria verba ex iisdemque fontibus producan-
 tur, non Germanicae quaedam voculae uti;
der, *die*, *das*, *von*, *bin*. &c. alicubi hunc in
 finem adoptatae fuerint. Idque tanto magis,
 quod constet populos hos a separatione per
 Trajanum facta praesertim post Aureliani tem-
 pora circa A. C. 274. non amplius convenisse
 iterum. Id cum primis memorabile apud Va-
 lachos est, quod articulos definitos substanti-
 vis posponent, vg. *cânele* canis, *serpele* ser-
 pens, *mân-a loco mân-la* manus, *vacile* vac-
 cae. &c. quos Itali praeponere solent. Atque
 hunc loquendi modum Valachos ex Italia se-
 cum attulisse vix dubitari potest; nam id ad
 imitationem Gothorum, aut Sclavicornum popu-
 lorum evenisse dici nequit, quia Gothi articulos
 suos substantivis praeponerant ab exemplo alio-
 rum Germanicorum populorum, cum et ipsi Ger-
 mani fuerint, Sclavi vero definitis articulis pla-

ne destituuntur. Hunc articulos substantivis postponendi modum hodie apud nonnullos Italiae populos vg. Vallenses et Alpium Penninarum incolas adhuc vigere ajunt. Hinc conjici merito potest, morem hunc articulis utendi, qui apud Valachos viget, ipsa jam in vulgari Romana lingua usitatum fuisse; Italos vero et Gallos ad imitationem Gothorum, et Longobardorum articulos ante substantiva enunciandi serius non nisi cepisse usum. Memorabile porro id quoque est; frequentissimos apud Plautum cum primis pervetustum apud Romanos comaediarum scriptorem reperiri idiotismos, et vocabula, quae apud Valachos in eodem prorsus sensu, et vix mutata pronuntiatione nunc quoque usitantur. vg. Bene ambula, *bine amblà*, animus mihi dolet, *anima me dore*, ardet credo caput, *arde cred capu*, faciatis pacem, *faceti pace*, quae texat, et faciat pensum, *quare se tiase, se face pense*, aspecta, *aspecta, tace, face, tace face*, broncum filium! Valachi pueros quasi per contemptum *bronci* vocant. &c. Item Plauto familiare est, ad tollendam pronuntiationis asperitatem, quae e concursu duarum vocum vocalium finalis, et initialis oriri posset praesertim apud pronomina interponere literam *d* vg. *med esse*, id quod in Valachorum lingua etiam observatur, praesertim in cantilenis.

Quidquid demum sit, dum A. D. ex usu articulorum, verborumque auxiliarium apud Valachos nexum sermonis Illyrici, et Valachici probare nititur, nimium errasse censet.

dus est: ut vitiosam ejus argumentandi rationem nec commemorem, ne scholasticas subtilitates sectari videar. Quis enim non videt hoc medio termino lingvas Italicam, et Gallicam, omnesque alias, in quibus usus articulorum, verborumque auxiliarium in Latina ut ille ait inconsuetus, obtinet, pro Sclavicae linguae dialectis habendas esse?

Magnam hac in re lucem affunderet diligente opera conscriptum quodpiam linguae Valachicae dictionarium, quatuor jam exstant in MS. a Klein, a Körösy, a Budai, et a Kolossy parata. Atque Kolosii cumprimis (Valachici Vice-Archidiaconi) Dictionarium quatuor conscriptum lingvis, Latina, quippe, Hungarica, Germanica, et Valachica a Typographia Regiae Scient. Univ. Pestanae susceptum typis vulgandum.

§. 10.

Argumentum quod A. D. ad probandam Sclavicam Valachorum originem a vestitu ad imitationem Sclavorum apud eos vigente deducit, aequè nullius est firmitatis, quod quidem ipse A. D. confiteatur per se infirmum esse. Apud cis Danubianos Valachos plerosque Turcico vestitu, in Hungaria variis in partibus varie vestiuntur. In Transylvania saepius frustra tentes Hungarum a Valacho per formam Vestium discernere, ut adeo nihil pro-

nus sit ad errandum quam ab hoc diversissimo alioquin semet vestiendi modo conjicere ad populi originem.

§. 11.

Ad sumQuae in citatis Ephemeridibus circa nomen *Valachorum* adducuntur, ita summen- da censeo, ut rejectis aliis argutiis Katanchichio plene sit assentiendum, qui originem nominis *Valachorum* his plane explicat verbis: „ No- men *Valachorum* ante Cinnami tempora, qui seculo XII. floruit, auditum non esse ajunt, neque tamen tum primum exortum censeo, Latini quippe ex quo Illyriis cogniti sunt ab antiquissima inde aetate *Vlassi* compellantur tanquam *Iassi* (Latii) dicas *v* consona Illy- riis familiari praefixa, uti compellantur et ho- die. ” (2) Frustra caetera sunt, Lucius quo- que nihil agere videtur, sive dum pastores mon- tanos Valachos appellatos fuisse observat, sive dum nomen *Valachorum* Bulgaris adhaesisse censet, certe *Valachus*, considerata ipsa vo- cis significatione Hungaris *Oláh* unice Lati- num, aut Italum (*Olasz*) ad emolendam pro- nunciationem Illyriorum *Vlass*, Hungaris per- familiari consuetudine ita modificatum, signi-

2) Petrus Katanchich de Istro cap. 3. §. 4.

ficat. Et quid etiam quaeso fatis populi, linguaeque genio convenientius ista Katanchichii opinione in medium adduci potest?

Falsum est Valachos se *Rumuny* appellare, Romanos vero ab iis dici *Romany*; nam seipsos compellant *Romani*, nisi quod vocales pronuncient sono ad nasales Gallorum accedente, quem quia Saxones Transylvani, e quibus Eder fuit, et non nullae aliae gentes pronunciare non valent, proferunt per *u*, inde enatum *Rumuni*, quod ita pronunciari audientes Valachi aegre se a risu continent. Romanos vero appellant *Rimleni* vocabulo a Russis in libris ecclesiasticis adoptato, quod tamen in nonnullis libris correctum jam est, ac loco *Rimleni* positum *Romani*. Certe Romanos non nisi Latini Sermonis periti Valachi vocant *Romani*. Qui igitur e compellatione *Rumuni*, et *Romani* argutari volunt, id non e consuetudine Valachorum sed in sequelam erroneae suae pronunciationis faciunt.

§. 12.

Ad 6tum Certum quidem est Valachos non nullos, everso cumprimis per Turcas Byzantinorum Imperio, iisque Huugaricas jam provincias depopulantibus, in Transylvaniam commigrasse, quemadmodum id ubique usu venire solet in locis, quae theatrum belli evadunt. Verum quo animo Gens Hungara eos acceperit, ostendit-

ostendunt Matthiae Corvini Decret. V. 3 et 4. art. Vlad. II. Decret. II. art. 45. per quas leges ii a *decimis* solvendis eximuntur. „ Ut talium transfugarum exemplo etiam alii ditioni Turcorum subjecti ad veniendum tanto promtiores efficiantur, quanto tales qui jam venerunt, tanta praerogativa conspexerint esse donatos. ” Et alibi: „ praesertim vero illis ad vocationem, et assecurationem Regiae Majestatis, ac Wajwodarum, Banorum, et caeterorum Officialium ipsa confinia Regni tenentium dicta loca incolentibus. ” (aa)

Unde videre est sapientes hos Reges, Regnique status non modo non quaesivisse impedire adventum e ditionibus Turcicis egredientium, quam ultra ad se vocasse, hocque modo numerum incolarum Regni augere studuisse. Barbarum itaque factum ab Edero mira laetitia in Ind. Crit. Script. rer. Trans. T. 1. p. 298 relatum, quod Matthiae Corvino attribuitur, quasi certum similium quorundam transfugarum in Transylvania pagum igne delevisset, non caret suspitione falsi; quod citatae ab ipso in favorem migrantium latae legi recte oppositum sit, postquam videlicet illi vocati venissent, et sedem sibi fixissent, sedem hanc crudelem in modum evertere! Si tamen id evenisse concedatur, singulares non

aa) Corpus Jur. Hung. Tom. 1. p. 250. et 291. Tyrnaviae 1751.

nisi excessus eo punire, non vero transfugis aditum ad Regnum impedire voluisse rex censendus est, quod sane ex ipsius documenti verbis indubium sit: „*cum cognovissemus quod vicinis Iobagionibus nostris impedimento essent*” Nam rex quoque non secus favorem cuipiam conferre potest, quam *salvo jure alieno*. His ita constitutis num opus erat Valachis se in Transylvaniam vi ingerere? An isti hoc variis coactis praetextibus adstruens non in Gentem Hungaram, cujus sensum, et vocem e publicis legibus optime cognoscere licet, contumeliosus indigne crudelitatem, duritiem erga infelices transfugas exprobrando evadit?

Verum non solum e Moldavia, et Valachia Valachos in Transylvaniam transiisse, quam tum olim, tum ipsa hac nostra aetate e Transylvania vicissim in dictas provincias non paucos transire nullus rerum patriarum peritus Transylvanus negare potest.

§. 13.

Ad 7um Duas assertum hoc complectitur partes 1mo Transylvanos Valachos ad toleratas nationes actu pertinere, nec vi Transylvanae Constitutionis ulla eis competere Jura Civitatis. 2do Valachos nunquam similibus juribus in Transylvania usos fuisse.

Iam vero utrumque falsum, et non nisi ad concitandum odium Legum Transylvana-

rum assertum est, et asseri potest, quod e sequentibus ut spero clare patebit.

Jus Civitatis Transylvaniae collocat Eder in parte potestatis legislativae, seu jure communibus provinciae Comitibus legatos adhibendi. (bb) Etsi vero haec determinatio juri publico Civitatum repugnet, quod ea nulla *Imperantes* inter, et *parentes* cives fiat distinctio; *Indigena* seu *civis* sensu Iuris publici fit qui Civitatibus, Oppidis, Pagis semet incorporat, stabilis Imperantis subditus efficitur, onera publica, et Munia pro ratione sui Status; et conditionis fert. Ad evitandas nihilominus quaslibet exceptiones, et ego ei insistere constitui. „*Toleratus* in Transylvania est ille, qui jus civitatis, et accessum ad honores Principatus publicos non habet, sed gratia solum tolerari praesumitur.” (cc)

Sciendum autem est Valachos Transylvanos, quorum numerum ipsae citatae Ephemerides in 950,000 collocant, reliquarum vero simul sumtarum Nationum in 750,000, partim esse Nobiles, eosque non exiguo numero, quod vel e Registro proximae Insurrectionis manifestum est; partim vero *libertinae*, vel civicae, partim *colonialis* conditionis, partim denique ad limitaneas legiones esse conscriptos.

bb) Not. 15. in Libel. Suppl. Valach.

cc) Benkö Transylv. Part. 1. pagina 472.

Iam vero Incltyti SS. et OO. M. hujus Principatus de An. 1791 ad August. Principem hoc in negotio Diaetaliter facta Relatione extra omnem ponunt dubitationem: Nobilem origine Valachum cum Nobili Hungaro una eademque praerogativa nobilitari gaudere, in Comitatibus pariter, et sedibus Siculicalibus Libertinum Valachum una eademque exemptione cum Libertino Siculo haberi, colonos denique Valachos eodem tractari modo, quo coloni reliquarum Nationum, (reperiuntur namque et Hungari, et Siculi, et Saxones natione coloni) ita demum de iis sentiendum venire, qui inter Saxones sunt. Accedit quod Valachi Nobiles, et civicae conditionis ad congregationes Circularum, et Comitatum in quibus Deputati ad Comitata eligi solent, vocentur, et in similibus electionibus suis etiam concurrant votis, coloni vero reliquarum etiam Nationum ab hac potestatis legislativae parte exclusi habeantur. Iisdem utuntur legibus, iisdem Jurisdictionibus, iisdem *Juridicis Remediis*.

Anno 1744 art. 6. haec de Valachis clare expressa habentur: „ad Ecclesiasticos solum (unitos), et nobilitari praerogativa gaudentes, quorum conditio est, quae reliquorum patriae civium.” Compil. constit. Part. 1. tit. 1. art. 9. „Az Oláh Papok is hoztak ollyan alkalmatlanságot bé, hogy némelly Nemes *Atyánsfiainak*, kik közölök ugyan azon a' *Sectan* vannak, vagy magokon, vagy Jobb-

ágyokon törvénytelen büntetéseket tselekesz-
nek !

Atque hos homines, quos SS. et OO. iisdem respective gaudere juribus, quibus reliqui Status utuntur, declarant, quorum conditionem lex eandem esse dicit, quae reliquorum patriae civium, idque ita, ut clare intelligatur aequalem hanc conditionem non cum An. 1744. inchoasse, sed jam prius perstitisse, quos longe antiquior adhuc lex *fratres* appellat, *toleratos* non nisi aliorum degere in fundis, seu capacitate possidendorum jurium *possessionariorum* destitui, et *precarios inquilinos* nominare? quis non videt id non nisi cum violatione legum, gravique populi hujus injuria fieri?

§. 3.

Valachos ab antiquissima inde aetate jure civitatis in Transylvania gavisos fuisse nemo vel modicum rerum Transylvanicarum peritus in dubium vocare potest: „ Habitatores terrae videntes mortem Domini sui *propria voluntate dexteram dantes* Dominum elegerunt sibi Tuhutum. ” (Anon. B. R. N. C. 27) Si etiam Anonymus ex usu non nisi aetatis suae, prout nonnullis adversariorum ejus placet, scripsisse censendus est, manifestum eo fit, Valachos illa aetate in Transylvania usos fuisse jure civitatis; cum Anonymus asserat per

Valachos *propria voluntate* electum fuisse Tututum *Dominum*, hoc est *Ducem* in locum Domini sui *Gelou*, quod sane exercitium maximi juris civitatis est.

Porro e pluribus authenticis documentis deducitur olim in Transylvania, praeterquam quod complures nobiles origine Valachicae familiae antiquissimae reperiantur, exstitisse insuper *terram Blachorum* instar *Terrae Siculorum*, et *Terrae Saxonum*, clare hoc patet e Diplom. Belae IV. apud Benkő Trans. Part. 1. p. 446. expresso; e Diplom. item Andreae II. collato Ordini Theutonico apud Dreyerum Cod. Pomer. p. 120 alio item ejusdem Regis Diplom. Saxonibus Transylvanis concessio apud Pray Annal. R. H. Part. 1. p. 228 ubi alia inter haec habentur: „ praeter vero supra dictam *Sylvam Blachorum*, et *Bissenorum* cum aquis usus communes exercendo cum praedictis scilicet *Blacis*, et *Bissenis* eisdem contulimus.” Per sylvam intelliguntur hic montana loca a *Szásváros*, usque *Sebus* terram Siculorum, in quibus Valachi plerumque habitant, quae proin Saxonum dici nequeunt, quia communia erant Blachis, et Bissenis.

In Diplomate Andreae III. de an. 1291 in favorem Ugrini dato, quod hodie in Capitulo Alba-Julienſi asservatur: ut Transumptum quod 1768. Villae Regali Brullya de sede Nagy Sink datum testatur, Rex clare loquitur: „ Cum Nos Universis Nobilibus, Saxonibus, Siculis, et Vlachis in partibus Transylvanis apud Albam-Juliam pro reformatione status eorum

congregationem cum iisdem fecissemus, de consilio omnium Praelatorum, et Baronum Regni nostri eo tempore nobis assistentium." Et inferius rursus: „cum iisdem Nobilibus Saxonibus, Siculis, et Olachis diligenter inquiri fecimus." Ex his Regis verbis absque controversia patet congregationem illam fuisse Diaetam Transylvaniae; quia in solis Diaetis tractari solet de reformatione status omnium. Proinde id temporis *liberi Valachi* praeter Nobiles ita concurrebant ad Diaetam, prout Saxones, et Siculi: sed si sic, Valachi hoc tempore in Transylvania non erant *Tolerati*, verum veri Patriae cives etiam in sensu Ederiano.

E. Literis Ludovici I. mi de an. 1366. apud Katona Tom. IX. pag. 374. et seq. deducitur exstitisse hoc tempore in Transylvania *Kenezionatus Olahorum*, quorum *Kenezi* seu superiores, prout nunc quoque in Banatu cum primis compellantur, in perhibendis testimoniis aequiparabantur Nobilibus, exstitisse insuper *communes Olahos* seu liberos, hosque a Jobbagyionibus distinctos, distincto pro singulis, et adversus singulos constituto procedendi modo.

Exstant etiam authenticae conventus B. M. V. de Colos Monofra apud Pray Diss. VII. §. VII. expressae Litterae de an. 1437. haec alia inter continentes: „Nobiles viri Ladislaus filius Benedicti Farkas, Paulus Magnus de Vajdaháza Vexillifer *Universitatis Regnicolarum Hungarorum, et Valachorum*

in partibus Transylvanicis. " Quod vero per Universitatem Regnicolarum Hungarorum, et Valachorum intelligendi veniant Nobiles Hungari, et Valachi, patet ex ipsis Literis Ludov. 1. de an. 1344. circa idem objectum emanatis tenoris sequentis: „ Nos Ludovicus D. gr. rex Hungariae memoriae commendamus, quod licet inter ven. in Christo patrem D. Andream eadem Gratia Episcopum Transylvaniensem ab una, et *universos Nobiles, Siculos, et Saxones partis Transylvaniensis* parte ab altera " tum addit „ de venustate pacis *Regnicolarum nostrorum partis Transylvaniensis* " mox subjungit: „ pro decimis *Regnicolae nostri partis Transylvaniensis* dicto Domino Episcopo de singulis decimalibus capeciiis solvent unum pondus denariorum " in fine „ nec Regnicolae seculares. (cc) Quis vero asserat hic compellatione Regnicolarum Partis Transylvaniensis non universos Nobiles, Siculos, et Saxones in ingressu litterarum designatos comprehendi, haecque sibi non esse aequivalentia? Atque hunc etiam sensumtribuendum in memoratis Conventus B. M. V. de Colos Monofra literis serius nempe circa idem objectum, orta videlicet inter Episcopum et Status intuitu *levium denariorum* contentione, confectis occurrenti vocabulo *Regnicolae*,

rectae interpretandi leges syadent. Cum vero hic vox *Regnicolae* per *Universitatem Hungarorum, et Valachorum circumscribatur*, recte ea Nobiles Hungaros, et Valachos intelligi arbitrabimur, qui causam suam agebant, salva alioquin relictâ via Siculis et Saxonibus causas suas promovendi. Erronee igitur obvertit Eder hic per Regnicolarum Universitatem colonos solum intelligendos esse utriusque Nationis, quod secus duo solum Status constituerentur. Male etiam ex his documenti verbis: „*in quorumcunque possessionibus*” infert Regnicolas hos fuisse colonos, quod nobiles suis in fundis degant, nec solvendis decimis obnoxii sint; constat etenim pauperiores nobiles cum primis armalistas alienis colonialibus plerumque degere in fundis, et ab his solvendis quoque decimis, et olim fuisse, et actu esse obnoxios. — Cum videlicet contra documenti fideidignitatem nihil excipere poterant, clarum caeteroquin ejus sensum vanis, ac hiulcis detorsionibus intricare nitebantur.

§. 15.

His rite perpensis quis dubitet Valachos olim jam jure civitatis in Transylvania gavisos fuisse, id quoque clare elucante eos nec nationalitate destitutos exstitisse. Quae tamen pro criterio dijudicandi, an quaedam Natio in

Transylvania jure civitatis gaudeat assumi haud potest, ecqui enim Si ex hoc fonte jus civitatis intelligendum est, fieri posset, ut complures reperiantur colonialis conditionis homines Natione Hungari, Siculi, et Saxones in sensu Ederiano jure civitatis destituti? aut hi e censu respectivarum Nationum ejecti habentur? aut ostensa cujuspiam nationalitate eo ipso jure civitatis Transylvaniae gaudere censetur?

Jure hoc civitatis Gens Valachorum nec per subsequentem 1437. sub Vice - Vajvoda Lorando Lépes fraternam unionem inter Nobiles, Siculos, atque Saxones ad se mutuos juvandos, adversus quosvis inimicos defendendos, ad fidelitatem S. R. Coronae, et invicto Principi Sigismundo praestandam, quae dein ab an. 1540 in Nationalem Unionem abiit, positus pro ejus fundamento Religionibus quatuor: Reformatâ videlicet seu Calvinianâ. Augustanâ, seu Lutheranâ, Catholicâ, Unitariâ denique seu Antitrinitariâ, his pro receptis Religionibus declaratis, exmissa Graecâ seu Valachorum Religione in Principatu antiquissimâ, privata est, aut etiam privari potuit, quia hae non sunt viae jus civitatis libertatem aut vitam amittendi legibus praescriptae. Graeca Religio jam prius libera erat, proinde eam nunc recipere opus non erat, Lutherana, Calviniana, et Unitariâ erant novae religiones, Catholica an. 1556. proscripta, quae proinde omnes receptione indigebant. Sed neque possunt Religionēs hae pro fonte juris civitatis assumi; nam

etsi quis se demonstraret cuiuspiam ex quatuor receptis Religionibus addictum, eo ipso jure civitatis in Transylvania gaudere non intelligitur; et non obstante eo quod Aprob. confi. P. 1. tit. 9. art. 1. Religio Orientalis sive Valachica pro *tolerata ob emolumentum publicum considerari* asseratur, Compil. Confi. P. 1. tit. 1. art. 9. Valachi Nobiles Orientali religioni addicti per Incl. SS. et OO. *fratres* appellantur; constat dein per Principes Transylvaniæ etiam ab an. 1540. continuo bene meritos de Patria Valachos in numerum Nobilium relatos fuisse, quin prius *indigenatus* ipsis quaerendus fuisset, aut unquam *taxa tolerantiae* solvenda, prout id Armenis, et Graecis evenisse constat. Habita itaque ipsa etiam plebs Valachorum, tractataque ab ipsis etiam Nationalibus Principibus non ut tolerata solum; non obstantibus durioribus quibusdam expressionibus v. g. Aprob. P. III. tit. 5. a. 2. P. 1. t. 9. a. 1. t. 8. a. 1. indubie e discrimine religionis ortis, quae tamen jus civitatis Valachis nuspiam adimunt. Quantum heu malorum dissidia religionum ubique gentium, et locorum generi humano peperere! quae tamen mala auxiliante Deo sub felici Regimine Augustae Domus Austriacae his quoque in regionibus jam fere penitus eradicata sunt.

§. 6.

Ad 8vum A legibus, quibus homines reguntur, formari eorum mores indubium est,

liberali imperio intrepidus; humanos, ac probos reddi cives, tyrannide vero mores corrumpi, ac innumera gigni mala, quae tamen haereditaria fieri credere, et insanabilia, indignus sapiente error, ac praejudicium est. Subsecuturam aetatem succrescentibus arbusculis similem reor, quae solutae deprimente pondere sua elasticitate naturalem recuperant formam. Infaustum concinnatoris Ephemeridum omen ad consolationem humani generis destitui veritate abunde ostendunt etiam diuturno Turcico jugo oppressis parentibus prognati Valachi si feliciori sidere meliorem nanciscantur educationem, ac institutionem, ut sileam de iis quos in Transylvania natos in variis scientiarum, et artium Institutis insignes quotidie facere videmus progressus. Noscimus ex hac ipsa gente illustres Milites, celebres medicos, Theologos, Juristas, et Philosophos, idoneos mercatores, et artifices.

Sed etiam vitia, quae hic Valachis obijciuntur, sibimet ipsis opposita, proin ficta, falsaue sunt. Quis enim sagacitatem, et prudentiam in arripienda qualibet alium deludendi occasione apud summe pigrum invenit? Omnia generica vitia, quae genti cuiquam, aut etiam singulari personae obijciuntur, injusta sunt, quia generica vitia non existunt, vaga vocabulorum significatione jam absque mensura, et fixis limitibus ea extendendo, jam refringendo pariter injusti fimus. Transylvani Valachi portant fideliter onera publica, magnam anni partem (de colonis loquendo) im-

pendunt *robotis dominalibus*, militant strenue, sustentant numerosas familias, nullum eorum in terris incultum, plerumque zea mai consitos videas agros, genere quippe frumenti plurimos poscente labores. Nulla apud eos frequentior querela, quam sufficientibus se destitui agris, se plus etiam laborare velle dummodo pluribus provideantur terris, iniquum itaque meo quidem iudicio est, hos de inertia accusare, apud quos nullus voluntatis defectus, verum institutionis inopia est, qua fieri posset ut exiguus ager magno cum faenore colatur. (ee) Psychologiae etiam nullam habuisse A. D. rationem nemo est, qui non videat. Quod vero Valachorum pigritiam per superstitiosam festorum observationem A. D. asserat ali, id etiam ex integro fidem haud meretur; constat namque quotidianâ experientiâ Valachos aegre Dominicis diebus a laboribus contineri, taceo minora alia festa urgentioribus cum primis agrestibus laboribus, ut eorum sacerdotes quotidie fere ad civiles Magistratus recurrendum habeant, quo Parochiani eorum ad observanda festa vi civili adigantur.

§. 17.

Ad 9num Quotidiana experientia luculentissimum praebeet documentum ad injuriosam

vitii hujus exprobrationem refellendam; omnis veri, aequique amans viator (ipse magnam Transylvaniae partem praeterlabente autumnoperragravi) fateri debet, vel hac, qua vivimus aetate medios inter Valachos, inter alpes, et Saltuum angustias majorem reperiri securitatem, quam nonnullis cultioribus in regionibus, primariis in urbibus, earum vicis, ac obseratis domiciliis. Montosas, nemorosasque regiones et Turciae cumprimis limites faventem latrocinii praebere occasionem verum est; sed hocce vitium Valachis prae caeteris esse congenitum turpe figmentum. — Altum silet A. D. in sua descriptione de rara Valachorum in servandis promissis fidelitate, et hospitalitate, licet generica vitia admittat; ut nullus amplius dubio locus esse possit, totam illam descriptionem taciti cujuspiam odii ac contemptus, cui aliquis ignorantiam etiam addere posset, esse factum; quale odium non obscure prodidit Eder vel per solam calumniosam imaginem (vignette) in fronte notarum suarum in Libellum supplicem Valachorum expressam quae multis refellere putidum sit. — Nonnullius interea authoritatis existimo hic fore exteri cujuspiam scriptoris testimonium, qui in suo de Moldavia, et Valachia libro pag. 213. haec refert: „ On peut dire de deux nations, qu'elles ne sont portées ni au vol, ni a' l' assassinat, elles observent même l' hospitalité avec une sort de satisfaction. ” (par M. C. qui a sejourné dans ces provinces) An quaeso exiguum illum Genti huic invidendum

putemus honorem, qui ex origine Romana in eos manat? aut eum in invidiam incidere vix crediderim. Certe virtutes, et praeclara Majorum facta haereditate nequaquam acquiri consiat; neque etiam genti cuiquam ita propria, ut cum iis nasci putetur. Aut potius imbecillitatem hominum incusemus, qua fieri consuevit, ut quae in aliis detestantur, ea sibi propria ad insaniam deperiant, vel certe nunquam eorum excusatione vacuum relinquunt locum.

Non sine summo salutis publicae incremento usu venire apud Gentem Hungaram experimur, ut sublato variarum Gentium regnum inhabitantium discrimine, variae quidem nationes communi tamen felicitatis fructu, et eodem patriae amore dudum unitae vivant, unus sit omnium animus, unum communis boni studium. Felices homines, felices republicas! si intolerantiae religionariae, et civilis furore penitus edomito, qui ad minus eandem nanciscuntur patriam, iisdem reguntur legibus, concordi Spiritu, et eodem communis salutis desiderio animentur; quo fiet, ut et respublica unitis omnium civium in eodem fine animis fortior, et civium singulorum junctis veluti manibus sibi subvenientium felicitas major sit.

Errata Corrige:

- Pag. 7 l. 19 loco: abstulit ponen. reliquit
— — — 23 post: cives adden. barbaris
— — — 25 — copias — hominum
— — — 24 loco: quia legen. quod
— 8 — 5 — Dacia — Dacica
— — — 29 — ecquidcm — equidem
— 11 — 5 — Ipsae — Ipse
— 12 — 2 — Valaehorum — Valachorum
— 16 — 32 — Pacinaciterum — Pacinacitarum
— 29 — 22 — incumabulis — incunabulis
-

